



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Scintillæ Ignatianæ, Sive Sancti Ignatii De Loyola, Societatis Jesu Fundatoris Apophthegmata Sacra

Hevenesi, Gábor

Coloniæ, 1715

VD18 10988289

3. Martij. Si vel ex gradûs, in quo stat, autoritate, vel ex officii, quod gerit, debito mundum reformare quis vellet, is à se incipiat est necesse. S. Ignat. apud Bart. l. 4. §. 36.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50423](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50423)

habet, non quærere; laudabilia agere, non laudem affectare, labor est, qui suum ab æquo Judice præmium expectare potest. O quàm parum sæpe humilitatis in humilitate! Aliud est esse, aliud videri humilem.

3. Martii.

Si vel ex gradûs, in quo stat, autoritate, vel ex officii, quod gerit, debito mundum reformare quis vellet, is à se incipiat est necesse. S. Ignat. apud Bart. l. 4. §. 36.

Quantò altiore te loco fors constituit, tantò majorem imposuit obligationem rectè agendi. Tibi velamen vitii nullum est. Pater omnibus, sed & omnibus officit, magis exemplo, quàm culpâ noxius.

Frustra est doctrina, quam facta non confirmant, levissima erit, ad nullius animum penetrabit, nisi ei pondus accedat ab exemplo. Oleum, & operam perdit, qui docet bona, cùm agat mala.

Ut optima etiam instrumenta nullum eximium artis opus per se dabunt, nisi artifex, qui eis utitur, eximius fuerit; sic planè consilia etiam saluberrima vim amittunt, nisi, qui ea sugesserit, etiam usu approbaverit.

De-

Deformis est mundus, reformationis
quis dubitat? indigus est, sed primam in
quisque curam acuat, ubi non deerit labo-
ri materia: qui sibi nequam, cui bonus?

4. Martij.

*Si quando calumnias ab improbis, vel igno-
ris in te congeri observaveris, Deum ora-
ut avertat, ne quando mala de te dicantur,
et vera dicantur. S. Ignat. ap. Bart.*

TOta felicitas intra nos est, & hæc est
beatitudo; miserrimi quippe essemus
si probitas alieno pendere deberet ab arbi-
trio. Talis & tantus es, quantus intra te,
Deo teste, es.

Si, nescio, quam tumidâ panegyri te in-
ter Sanctos fama collocet, malum non
tollet, si malus es; ita vicissim, si tua te non
arguat conscientia, satyras tutus ride, nihil
de bono tollent.

Id solùm interest, nocens, an innocens
vituperia patiaris? nulla nobis nocebit ad-
versitas, si nulla dominetur iniquitas. Non
est, quod metuat innocentia.

Mens conscia recti securior mendaciâ
famæ, quàm fluctus rupes excipit: tu
multuetur hic, illa non commovebitur.

Con-